

*2016 Pretium  
Petronianum*

*1. Platz*

verliehen von der Klassischen Philologie der  
Johannes Gutenberg-Universität Mainz

an

**Timm Goldenstein, Carina Klose,  
Martin Mittag, Ingrid Moder**

für das Verfassen eines herausragenden  
Textes in lateinischer Sprache anlässlich des  
Thementages

**Rom - Stadt der Spektakel**

am 16. Januar 2016

---

Univ.-Prof. Dr. Christine Walde



Institut für Altertumswissenschaften  
Latinistik/Klassische Archäologie  
Johannes Gutenberg-Universität Mainz

*De pugna duorum*

“Tempus adest et portae arenae late patent. Primi radii solis vultibus nostris affulgent, ut caecemur. Nos intrantes turba salutatur vocibusque magnis innumerabilium spectatorum obsurdescimus. Clamantes tollimus brachium tentum ad caelum una cum gladio stricto, cui spes tenuissima salutis vitaeque imponimus. Subito adversaria occurrit et me invadit. Arma concrepant cupida alterum mutuis ictibus violandi. Nitor adversariae est magnificus, fulgit luce aena, aurum purum gemmaeque pretiosae demonstrant divitias, decorata est pennis variis, creator eius fuit videlicet artifex ingeniosus egregia facultate praeditus. Cum ei sit magnitudo immensa et duritas potens, tamen levissima habilisque videtur. Iam multos polita forma sua deterruit, ne umquam bellum experta esse sed potius opus artis admiratione affici videatur. Iterum atque iterum gladii mortiferi celeritate magna convolant et paene clangor armorum me magis terret quam plagae ipsae. At nunc impetum sustinere non iam possum et vi immensa me ferit. Tenebrae offunduntur oculis. Iaceo et turba tacet. Utinam cum sororibus meis contra hostes atroces in bellis honestissimis et non in istis spectaculis inanibus pugnarem. Video eas pro patria honoribusque bellantes. Tandem vox spectantis auditur, quae imperat, ut tollar. Me memorat virtutis illius, rerum gloriose gestarum, victoriarum pristinarum. Offensione ictuum deformitas mea augetur, sed tamen rubiginosum vetusque corpus meum eam repugnat. A facultate enim experientiaque formam etiam pulcherrimam superari necesse est. Memoria bellorum confectorum animum non amitto, nam saepe iam victrix fui multarum pugnarum.

16. Januar 2016: Thementag Rom – Stadt der Spektakel  
**PRETIUM PETRONIANUM QUARTUM**

Ergo obstemus! Gladiatori plagas imponimus, ut sanguineis vulneribus conficiatur. Quam ardor solis, ita cupiditas interficiendi nobis crescit. Nunc victoria mea certa videtur. Adversarius genu submittitur clementiam orans, sed frustra: fortuna eius constat. Cassis illa formosa capitur manu tolliturque in altum, ut turba gaudio exsultet. Sed subito dominus meus me avide de capite rapit et in arenam proicit. Pro me ipsa victrice lassa casside nunc illam in bello victam splendissimam induit. Pariter atque corpus adversarii mei putrescet, ita deserta per vices saeculorum aeruginabo memor sororum mearum.”

Haec, quae modo legisti, sunt quae apud veteres scriptores bibliotheca quadam remota inveneram. Sunt ergo, qui de pugnis cassidum, gladiatorum, galearum sine erubescendo brevissimas fabulas componant. Certe enim sunt fabulae, cum neque galeae neque gladii soli pugnare possint, sed semper bellatores vel gladiatores adsunt. Scriptores autem, qui de pugna actoribus eius carente blaterant, certe crudelitate saevitiaque ita obruuntur, ut homines pugnae deesse velint. Itaque tantum instrumenta apparatusque pugnae sunt narratores fabularum, quod spectacula immania inhumanaque ducuntur. Crudelitate etiam scriptores gravissimi ita perturbantur, ut obliviscantur cassides neque oculos neque vocem nec sorores habere. Tamen istis scriptoribus, quod cassides narrant, ignoscere non possum. Multo peius est quam animalia quaedam verba facientia, quae quidem in fabulis inveniuntur. Iis enim est aliquod animi atque sermonis, sed mutis cassidibus nihil nisi materia aenea.